+

xc 560 N. 10

Decensu e cœlo humiliatus Dominus
Ascensu ad Crucem humiliatior.

A summo cœlo egressio Verbi Dei (A. Am.) quâ nos Deos faceret factus homo, mentem exigit, ut eam velut Divinum omnino facinus cœlo mirandum, inexpectabile Angelis, hominibus inaprehensibile demiremur. Quisnam, omnipotens Verbum Patris immensa magnitudine pollens, sic contractum crederet, ut velut minutum imbrem descendentem super gramen, ac in limo profundi humanæ substantiæ suspicaretur infixum; quemque cœli capere non possunt breviculo corpore circumscriptum? Sic verus justitiæ sol in Acazio horologio a meridiano apice per decem lineas descensum egit, dum a novem Angelorum gradibus paulominus imminutus decimo accumbit, in pulverem nempe nostræ mortalitatis deductus: Vidimus ergo in hoc Verbi Dei decensu imensitatem abbreviatam, omnipotentiam infirmam, eternitatem temporaneam, immortalitatem in carne mortali, invisibile in similitudinem hominum factum; incomprehensibile angustiis comprehensum, omnium Dominum in servi formam redactum. His obnoxium fecit Deum, Deum fieri hominem, ac omnium dominatorem servi descendere ad formam; sic humiliavit semetipsum, Creator omnium! Proch Divini numinis humiliatio! At his, quam profundiores gradus lineas quæ abjectiores attigit, atque descendit per Crucis ascensum; illa nempe passus conditione naturæ, ista vero suppositi inhonestatione reatus: homo inter homines versatus septro, sepe sepius dignus agnoscitur, nunc suprema strage, et ludibrio: tulerat quidem fragilis humanitatis defectus, nunc improbitatis scelestissimæ notas: inter servos gesserat tantummodo formam servi, nunc mali servi, servilibus impetitur crimonis: sicario posthabetur, ac inter latrones latro proscribitur, interque scelestissimos immani addicitur patibulo.

His mente perceptis, merore digne afficimur, peritissimi Academici, at mentem juvat levari, vatem audientes afantem: felix ille Deus ligno qui pendet ab alto; namque talia sponte ferens hinc probat esse Deum.

Die 28 Martii 1788.

Fr. Dominicus Boria
Ord. Præd.